

tudine, juxta communem theologorum, et diximus in nostra *Theologia morali*, tract. II, dist. 2, n. 33, eo « quod consuetudo sit optima legum interpretis, » c. *Cum dilectus*. 8. de *Consuetud.* atqui per communem consuetudinem lex tributorum et vectigalium habetur pro mera pœnali, cum homines absque ullo scrupulo aut timore de peccato, passim ubi possunt, vectigalia, tributa, et gabellas defraudant, id solum attendentes, ne in foro externo deprehendantur, ergo. Resp. Transmissa major., et probatione ejusdem; negando min. videlicet, quod principes imponentes tributa et vectigalia aperte justa et moderata, vel pro decenti suorum non excessiva sustentatione, vel pro bono communi, quod alia via haberi nequit, non intendunt obligare in conscientia; præsertim cum ad hoc faciendum a lege naturali ac divina dirigantur: cui derogare cum suorum et communitatis præjudicio velle non sunt præsumendi. Ad probationem respondeo concessa major., rursus negando minor., quod nempe universim quævis lex tributa, et vectigalia etiam justa imponens habeatur vi consuetudinis pro mere pœnali, et passim sine scrupulo violetur; quamvis enim id fiat in tributis, et vectigalibus, quæ communi æstimatione videntur excessiva, et nimia, vel de quorum æquitate saltem dubitatur; tamen de aperte justis aliter videmus fieri, eaque a timentibus Deum (mali pro exemplo adducendi non sunt) exacte solvi, vel non soluta confessioni subijci; hoc ipso, quod sciant, se ad honeste sustentandum principem, malumque commune avertendum de jure naturali, ac divino obligari. Cæteram ex hæcenus data doctrina.

48. *Ponuntur doctrinae practicæ.* — Colliges I, quod, quia experientia teste, hoc tempore sæpius omnino injuste, vel certo aperte excessiva imponuntur nova tributa, ac similes exactiones, cum plura applicentur ad excessivum luxum, pompam, etc. possessuta conscientia subditos illa vel ex toto, vel ex parte defraudare, quando nempe vel ex toto, vel ex parte, ea injusta communiter æstimantur.

Colliges II, quod, cum hodie raro supersit via subditis defraudandi tributa, et exactiones alias, sed omnia sive justa sint, sive injusta, dare cogantur, ac severe compellantur, in conscientia liceat subditis etiam justa ac moderata defraudare tributa, et exactiones, si alia via non possunt se indemnes reddere

ratione tributorum, et exactionum injustarum vel excessivarum, quas dare sunt coacti. Idem est de gabellis et vectigalibus noviter impositis.

Colliges III, quod, licet gabellæ et vectigalia, sicut etiam tributa antiqua ordinarie præsumantur justa, nihilominus, si videt subditus, quod per nova tributa, exactiones, gabellas, etc. injuste sit gravatus, etiam antiqua defraudare in tantum valeat, quantum per nova se injuste gravatum cognoscit. Et quoniam hoc in gabellis, et vectigalibus, commodius fieri potest, in iisdem fieri dicto modo licebit.

Colliges IV, quod, cum his perversis temporibus persæpe et toties injuste, vel excessive (abstrahendo a quavis provincia in particulari et principe, quorum nulli per hoc in minimo detrudere, vel derogare intendimus, se universaliter pro toto mundo scribimus) graventur, et emungantur, ut ob omnes præclusas vias vix possibile sit subdito, tantum defraudare, quantum ad recuperandum injustum damnum passum sufficiens esset ordinarie, et in praxi loquendo, vel nunquam vel raro peccent subditi, multo minus ad restitutionem obligandi sint, si defraudant quodeunque tandem genus tributorum, gabellarum, aut vectigalium.

Colliges V, doctrinas hæc usque traditas nequaquam procedere de annuis canonibus et laudemis, quæ a subditis emphyteutis vel feudatariis præstantur dominis in recognitionem domini directi, ac alias similes rationes, eo quod hæc vi contractus jure naturali obligantis suam vim, et efficaciam habeant. Nisi etiam in his excessus fiat, et injustitia a dominis, ut si sine justa causa canones annuos, vel laudemias augent; vel laudemias injuste multiplicent, juxta dicta supra tit. de *Locat. conduct.* § 7.

## § IV.

## DE PROCURATIONIBUS: UBI ETIAM DE VISITATIONIBUS.

49. *Procuratio ad præsens, quid?* — Queritur I. Quid sit ad propositum *Procuratio*, et quinam ad eam teneantur? Resp. I. Quamvis alias *Procuratio* varia significet, ad præsens tamen aliud non est, quam contributio sumptuum, et expensarum necessariorum pro victu et honesta sustentatione tempore visitationis præstanda illis, qui ecclesias

diocesis visitant. Ita in re communis, arg. c. *Procuracionibus*. 23. h. t. concil. Trident. sess. 24. de *Reform.* cap. III. Cum enim multum, imo plurimum intersit, ut Ecclesiæ sæpius visitentur, juxta dicenda infra num. 65. ideo in concilio Toletan. 4. cap. xxxv. relato can. *Episcopum*. 11. cau. 10. c. 1. statutum, atque a concilio Tridentino, loc. cit. denuo confirmatum fuit, ut episcopi per se, vel per alios singulis annis visitarent omnes ecclesias suæ diocesis; quod ut promptius facerent, et ne timore expensarum visitationes negligerent, ulterius statuere, ut eisdem honesta sustentatione ex redditibus Ecclesiæ præberetur pro eo tempore, quo eam visitant, per jura allegata.

50. *Tenantur ad eam omnes ecclesiæ, et monasteria visitationi subjecta.* — Resp. II. Regulariter loquendo ad *Procuracionem*, seu honestam sustentationem visitatoribus præstandam tenantur omnes ecclesiæ, et monasteria visitationi subjecta, nisi per jura ab hoc onere sint exempta. Communis ac certa, arg. c. *Conquerente* 16. de *Offic. ordinari.* c. *Cum ex Officii*. 16. de *Præscript.* c. *Procuraciones*. 23. h. t. ibi: « Procuraciones ratione visitationis debentur episcopis, » etc. et c. *Sopitæ*. 14. eod. ubi etiam monasteria quantumvis alias a lege diocesana exempta, per dicta num. 12. ad eam teneri dicitur, et concil. Trident. loc. cit. Quod intellige, etiamsi episcopi, vel alii visitatores aliunde sufficientes, vel etiam abundantes redditus habeant, ut bene observat Abbas in c. *Procuraciones*. 23. h. t.; tum quia « nemo cogitur propriis stipendiis militare: et magnum non est, si metat carnalia, qui spiritalia seminat, » ut dicitur cit. c. *Cum ex Offic.* de *Præscript.*; tum quia *Dignus est operarius mercede sua.* Lucæ X, 7; tum ut magis alliciantur ad visitationem episcopi, quam alias ob annuas expensas facile negligerent.

51. *Excipiuntur oratoria privata.* — Dixi, « Regulariter loquendo, » quia limitatur conclusio I. In oratoriis privatis, etiamsi ab episcopo, vel per destinatum ab eo visitentur omnes, ob textum expressum c. fin. h. t. ubi Summarium sic habet: « propter oratorium privatum procuratio visitationis non debetur » censentur autem oratoria privata illa, quæ auctoritate episcopi non fuere erecta, ut in cit. c. fin. bene observat Barbosa, et constat ex dictis, tit. de *Religios. domib.*

52. *Item ecclesiæ habentes privilegium non dandi, aut consuetudinem universalem contra*

*riam.* — Limitatur II. In ecclesia, quæ vel speciali privilegio pontificio est exempta, c. *Cum instantia*. 17. h. t. Item in locis seu provinciis, ubi « consuetudo est, ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud a visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis fiant, » ut expresse statuitur a concilio Tridentino, sess. 24. de *Reform.* cap. III. quod intellige de consuetudine universali alicujus diocesis, vel provinciæ, non item alicujus loci, vel Ecclesiæ particularis, juxta dicenda infra n. 62.

53. *Atque ecclesiæ pauperes: et quomodo.* — Limitatur III. In ecclesiis, et beneficiis pauperibus, qui sufficientes redditus ad procuracionem visitatoribus præstandam non habent. Fagnanus, in c. *Venerabilis*, 24. h. t. n. 33; Barbosa, de *Offic. et potest. episc.*, loc. cit. n. 51. Joan. Andreas, in c. *Procuraciones*, 23. h. t. n. 6. et ibi Hostiensis, n. 4. Butr. n. 5; Cardinal. n. 3; Barbosa, de *Offic. et potest. episc.* allegat. 73. n. 51. Abbas, n. 7; Pirhing, h. t. n. 82. cum communi, arg. can. *Cavendum*. cau. 10. q. 3. c. *Statutum*. 41. § *Insuper. de rescript.* in 6. ibi: « Ubi notabiliter fuerint pauperes, etiam pro expensis nihil prorsus exigatur ab eis » can. *Placuit*. cau. 1. q. 2. ibi: « Si aut paupertas, aut necessitas illum retinet, nihil exigatur ab eo » et c. *Cum instantia*. 17. h. t. et ibi Glossa 7. *Indebite prægravari*, ubi ait: « imo a paupere non debet exigere; » rationem aliquam addit; quia nec judex sportulas exigit a pauperibus, *Novell.* 17. cap. III. Unde in visitatione ita pauperum ecclesiarum debet episcopus ex suis redditibus expensasolvere. Bellet. *Disquisit. cleric.* p. 1. *Cleric. debit.* § 41. n. 8. Intellige, si notorie constat de paupertate ecclesiæ, aut beneficii. In dubio enim potest episcopus juramentum exigere a rectore ecclesiæ, vel beneficiato paupertatem allegante Abbas, loc. cit. n. 7. arg. c. fin. de *Jurejurand.* vel sub conditione eundem excommunicare v. g. « Excommunicate, nisi procuracionem præbeas juxta facultatem tuam. » Abbas ibid. Advertendum tamen, quod si aliqua ecclesia dare aliquid, sed non totum pro necessaria procuracione præbere valeat, ex toto non eximatur, sed cum alia simili, vel pluribus pauperibus concurrere debeat, juxta dicenda infra n. 58.

54. *Necnon ecclesiæ civitatis, ubi episcopus sedem habet.* — Limitatur IV. Si episcopus visitat ecclesiam cathedralem, aut alias ecclesias, vel clerum civitatis, in qua Sedem

habet. Fagnanus, loc. cit., n. 15; Barbosa *de Offic. et potest. episc.* allegat. 73. n. 46; Pirhing, h. t. n. 74. et alii, arg. concil. Trident. sess. 24. cap. III. ubi juxta jus commune c. *Venerabili*, statuit, ut non nisi tempore necessitatis, id est, si extra Sedis suæ civitatem in tali diocesis loco visitat, ex quo pro refectione domum venire non possit, prout teste Fagnano, loc. cit. sæpe declaravit sancta Congregatio.

55. *Hospitalia et alia loca pia pro pauperibus erecta non tenentur ad procurationem.* — Resp. III. Hospitalia, leprosaria, et alia pia loca pro pauperibus, aut infirmis deputata, etiam, auctoritate episcopi erecta, non tenentur ad procurationem visitoribus exhibendam, etiamsi amplissimos habeant redditus. Fagnanus, loc. cit. n. 34; Barbosa, loc. cit. n. 50; Pirhing, h. t. n. 79; Sylvester, *¶ Hospitale*; Cardinal. in Clem. *Quia contingit de Religios. domib.* n. 18. et ibi Imola, n. 23; Bellet. loc. cit. n. 10. Estque declaratum a sancta Congregatione, teste Fagnano, loc. cit. Ratio potissima est, quia redditus talium locorum omnes quantumvis ampli applicari debent in usus pauperum, Clem. *Quia contingit de Religios. domib.* consequenter, si quid ab iis exigeretur, pauperibus præjudicaretur, utpote qui ad victualia non tenentur, arg. c. 4. h. t. uti bene ibi notat, et conclusionem fuse prosequitur Fagnanus, loc. cit. ubi vide.

56. *Procuratio, quæ comprehendat? Victus nomine, quæ veniant?* — Quæritur II. Quænam comprehendantur sub procuratione? Et quomodo exigi possit, ac præstari debeat? Resp. I. Sub ea comprehendenda omnia, quæ sunt necessaria pro victu, cibo videlicet, potu, et habitatione ipsius visitoris, et honesti comitatus ejusdem; item pabulum pro equis et jumentis necessariis; quæ omnia ex redditibus ecclesiæ, aut beneficii præberi debent, et a visitatore exigi possunt, quandiu visitatio durat; Azorius, part. II, lib. III, cap. XLII, q. 7. *¶ Quæres*; Barbosa, *de Offic. et potest. episc.* alleg. 73. n. 57 et communis aliorum. Ratio est, quia omnia præfata nomine victus veniunt, l. verbo *Victus*. et duabus seqq. ff. *de Verb. sign.* Quoniam vero victus nomine non veniunt vecturæ equorum, et jumentorum, ideo ad expensas, quæ in iis emendis aut conducendis, ac quæ in itineris transitu, aut etiam in iactura equorum fiunt, ecclesia non tenetur. Azorius, loc. cit. q. 8; Barbosa, loc. cit.;

Abbas in c. *Procuraciones*. 23. h. t. n. 4; Sylvester, *¶ Visitatio*. q. 6; Bellet, loc. cit. § 11. n. 4. et alii; nisi nuntius, aut legatus apostolicus, cui etiam expensæ pro equis de loco ad locum, necessariæ solvi debent, uti citati doctores limitant.

57. *Debet tantum moderata peti, et dari.* — Resp. II. Sicut non potest visitor ex redditibus Ecclesiæ visitandæ prætere vicium, nisi moderatum, ita obligatio non nisi ad moderatum, et talem se extendit, ex quo nimium non gravatur Ecclesia, claris jurebus c. *Cum Apostolus*. 6. c. *Procuraciones*. 23. h. t. c. *Conquerente*. 16. *de Offic. ordinari.* juncto concilio Tridentino, sess. 24. *de Reform.* cap. III. ibi: « Exceptis tantum victualibus, quæ sibi ac suis frugaliter, ac moderatæ pro temporis tantum necessitate, et non ultra erunt ministranda. » Hinc prohibetur cit. c. 6. h. t. ne « Visitatores cum canibus venatoriis, et avibus proficiscantur, sed ita procedant, ut non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, quærere videantur. Nec sumptuosas epulas quærant, sed cum gratiarum actione recipiant quod honeste, et competenter eis fuerit ministratum. » Et quamvis etiam attendi possit ac debeat consuetudo loci, et conditio visitoris, tamen semper observare oportet, ne nimium, et ultra facultates gravetur ecclesia, per jura citata, et c. *Solitæ*. 14. ac c. *Cum nuper*. 25. h. t.

58. *Visitatio cujusvis ecclesiæ una die peragi debet.* — Porro ad evitanda gravamina ecclesiarum ordinatur, ut, nisi necessitas aliud exigat, « Episcopus diocesis visitans non amplius quam una die per unamquamque basilicam remorandi licentiam habeat, » can. *Inter cætera*. cau. 10, q. 3. Quod idem c. *Procuraciones*. 23. h. t. habetur, dum statuitur, « ita fiant ordinariæ visitationes, ut numerus procurationum numerum dierum non excedat: » ubi ulterius ordinatur, « quod si pro facienda procuratione necessaria non suffecerit aliqua (Ecclesia) per se ipsam, duæ, vel plures conjungantur in unum. »

59. *Licitum est loco procurationis pecuniam accipere.* — Resp. III. Quamvis olim prohibitum fuerit pretium moderatæ procurationis in pecunia accipere, can. *Relata*. cau. 10, q. 1, et c. 1. § *Procurationem*, et c. 2. h. t. in 6. tamen id hodie omnino licet, textu expresso c. 3. h. t. in 6. ibi: « Concedimus, ut episcopi, et alii, quibus ex offi-

cio competit visitare, volentibus ecclesiarum et locorum visitorum rectoribus, seu personis pecuniam licite recipere, valeant pro sumptibus moderatis faciendis in victualibus, et diebus, quibus visitationis officium personaliter exercebant. » Et concilium Tridentinum sess. 24. *de Reform.* cap. III, ibi: « Sit tamen in optionem eorum, qui visitantur, si malint solvere id, quod erat ab ipsis ante solvi, certa pecunia taxata consuetum, an vero prædicta victualia subministrare. »

60. *Intuitu procurationis nullus omnino potest aliquod munus etiam gratis oblatum accipere.* — Ubi tamen notandum, quod si visitor una die plures ecclesias visitando absolvat, « eidem non liceat, nisi unam procurationem accipere una die, etc. etiamsi locus quilibet visitatus ab illo, sufficeret ad procurationem integram subeundam; cum eidem sufficere debeat, ut temporalia metat a locis personaliter visitatis, pro diebus, quibus eis spiritualia subministrat, » prout in terminis statuitur cit. c. 3. h. t. in 6. Hinc in tali casu plures ecclesiæ una die visitatæ, debent expensas factas, vel faciendas proportionaliter inter se dividere, et omnes simul tantum, non plus solvere, quantum procuratio seu honesta, ac moderata sustentatio unius diei pro visitatore et comitatu ejusdem efficit; quod etiam observat Zerola, *¶ Visitatio*. § *Sextum dubium*.

61. Resp. IV. Tam episcopus, quam deputatus ab eo visitor cavere gravissime tenetur, ne causa, et occasione « Visitatio- nis ipse, vel quispiam suorum (sive famulus, sive secretarius, sive quis alius de comitatu ipsius sit,) aliquod munus, quodcumque sit et qualitercumque offeratur, præsumat recipere (excepto necessario victu) ut non quæ sua sunt videatur quærere, sed quæ Jesu Christi. Quod si fuerit contra præsumptum, recipiens maledictionem incurrat, a qua nunquam, nisi duplum restituat, liberetur; volumus enim in his fraudem quamlibet penitus evitari: » sunt verba pontificis c. 2. h. t. in 6. quod idem statuit concilium Tridentinum, sess. 24. *de Reform.* cap. III, ubi constitutionem extendit etiam ad visitationem « Testamentorum ad pios usus, » additque clausulam « non obstante quacunque consuetudine » etiam immemorabili: simulque mandat, ut dupli restitutio intra mensem fiat. Ex quo Barbosa, in c. 1. h. t. in 6, n. 17 et 22. monet

confessarios, ne aliquem ex dictis, munus occasione visitationis acceptantem absolvant, nisi prius serio promittat, quod intra mensem in duplo restituere velit.

62. *Procuratio consuetudine universali tolli potest.* — Quæritur III. An consuetudine aut præscriptione abrogari possint procurationes, ita ut ecclesiæ visitatæ ad nullas expensas pro victu visitoris solvendas teneantur? Resp. Quamvis consuetudine universali integræ alicujus diocesis, vel provinciæ abrogari possint procurationes de jure debitæ, nequit tamen id fieri aliqua præscriptione particulari unius, vel alterius ecclesiæ in diocesi. Prima pars de consuetudine universali diocesis est hodie certa apud omnes, ob clarissimam dispositionem concilii Tridentini, sess. 24. *de Reform.* cap. III, cujus textum vide supra n. 52.

63. *Non item particulari, seu præscriptione, dictio seu facit sensum declarativum.* — Secunda pars docetur, et solidissime probatur a Fagnano, in c. *Venerabili*. 24, h. t. a. n. 25. contra Barbosam, *de Offic. et potest. episc.* allegat. 73, n. 48; Stephan. Gratian. *Discept. forens.* cap. LVII, n. 19. et communissimam aliorum, qui præfatum textum concilii Tridentini de consuetudine provincialium extendunt etiam ad particularem consuetudinem, seu potius præscriptionem ecclesiarum in particulari, putantque per eum, derogatum esse juri antiquo contrarium statuenti. Probatur autem sententia nostra clare ex jure c. *Cum instantia*. 17. h. t. ubi expresse habetur, quod « contra procurationem præscriptio sibi locum nequeat vindicare; etiamsi longissimo tempore procurationis obsequium non impenderit. » Quod idem reperitur c. *Accedentes*. 11. *de Præscript.* Rationem et solutionem textuum aliorum, qui in jure videntur contrarii, vid. lib. II, tit. XXVI. *de Præscript.* a. n. 50.

Nec valet fundamentum adversariorum dicentium, juri communi pro sententia nostra per varios textus allegato, derogatum esse per concilium Tridentinum, sess. 24. *de Reform.* cap. III, vi textus n. 52. positi. Nam contra est, quod concilium ibidem non loquatur de præscriptione, sed de consuetudine; ibi: « ubi est consuetudo in locis, seu provinciis, » etc. ad consuetudinem autem proprie talem requiritur, ut sit generalis in loco, cum a particularibus introduci nequeat, uti præscriptio: quæ per hoc essentialiter differt a consuetudine, quod illa

detur inter privatos, et a privatis inducatur : e contra vero consuetudo cum sit lex et jus non scriptum l. *De quibus. ff. de Legib. et § Ex non scripto. Institut. de Jure natur. cum concordantiis*, non nisi respectu communitatis in aliquo loco detur, et non nisi ab hac introduci queat; prout jam dictum est libr. I, tit. IV. *de Consuetud. n. 23.* et fatentur ipsi adversarii; ergo ab hac ad illam non licet argumentari. Præsertim quia ipsummet concilium Tridentinum expresse tantum de consuetudine universali integrarum provinciarum, et non de particulari unius, vel alterius ecclesiæ loquitur cit. sess. 24. *de Reform. cap. III.* per verba « in illis locis et provinciis, ubi est consuetudo, » arg. can. *Novit. dist. 12. et l. Omnes. c. de Episc. et cleric. Accedit, quod dictio Seu hic non sumatur in sensu disjunctivo, sed declarativo, et expositivo indicans, quod verba inter quæ stat, idem significant, ut bene advertit Fagnanus, loc. cit. n. 27.* ut sensus sit, « in locis, seu, id est, provinciis, » arg. c. *Conæ. 3. de Postulat. prælat.*

Confirmatur. Correctio jurium est odiosa, et pro possibili vitanda : « Cum expediat jura juribus concordare, et eorum correctiones, si sustineri valeant, evitari, » ut dicitur c. *Cum expediat. 29. de Election. in 6.* ergo cum in præfato sensu bene concordare possimus concilium Tridentinum cum jure antiquo, id facere debemus.

Quandoquidem procuratio ratione, et intuitu visitationis datur, non incongrue breviter de ea hic agitur.

64. *Visitatio et visitare, quid?* — Queritur IV. Quid sit visitatio, seu visitare, ratione cujus debetur procuratio? a quibus? circa quæ? quare? et quomodo fieri possit, vel debeat? Resp. I. Visitare nihil aliud est, quam excessus, ac defectus inquirere, inventosque castigare, et convenientibus remediis emendare; atque observantiam obligationum juxta cujusvis personæ, ac rei exigentiam, ubi adhuc viget conservare, et ubi deficit, in pristinum restituere. Barbosa, *de Offic. et potest. episc. allegat. 73. n. 7.* et in re communis, patebitque exsequentibus.

65. *Episcopi per se, vel per alios singulis annis tenentur visitare diocesim, vel saltem quolibet biennio.* — Resp. II. Locorum ordinarii v. g. episcopi non tantum possunt, sed etiam tenentur graviter singulis annis, aut si ob latitudinem fieri nequeat, saltem quolibet biennio totam diocesim, et ecclesias

ejusdem visitare. Communis ac certa, per clara jura can. *Decrevimus. 10, cau. 10, q. 1.* ibi : « Decrevimus ut annuis vicibus ab episcopo diœceses visitentur, » et can. *Episcopum. 11.* ead. cau. et q. ibi : « Episcopum per singulos annos ire oportet, ut exquirat, etc. Quod si ipse aut languore detentus, aut aliis occupationibus implicatus, id explere nequiverit, presbyteros probabiles, aut diaconos mittat, qui redditus basilicarum, et ministrantium vitam inquirant. » Concordat concilium Tridentinum, sess. 24. *de Reform. cap. III.* ibi : « Patriarchæ primates metropolitani, et episcopi propriam diœcesim per se ipsos, aut, si legitime impediti fuerint, per suum generalem vicarium aut visitatorem, si quotannis totam propter ejus latitudinem visitare non poterunt, saltem majorem ejus partem, ita tamen, ut tota biennio per se, vel per visitatores suos compleatur, visitare non prætermittant. » Simile quid habetur, sess. 7. *de Reform. cap. VIII.* ibi : « Locorum ordinarii ecclesias quascunque, quomodolibet exemptas, auctoritate apostolica singulis annis visitare teneantur, et opportuno juris remediis, providere, ut quæ reparatione indigent, reparentur; et cura animarum, si qua illis immineat, aliisque debitis obsequiis, minime defraudentur; appellationibus, privilegiis, consuetudinibus etiam ab immemorabili tempore præscriptis, judicium deputationibus, et illorum inhibitionibus penitus exclusis. »

66. *Ecclesias omnes, et monasteria non exempta.* — Resp. III. Non tantum ecclesias communes diœcesis, sed etiam capitula, et ecclesias cathedrales, aliasque majores, et personas illarum : item monasteria non exempta, et quidem sæpius in anno, si placuerit, visitare potest episcopus. De capitulis cathedralibus aperte constat, ex concilio Tridentino, sess. 6. *de Reform. cap. IV.* ibi : « Capitula cathedralium, et aliarum majorum ecclesiarum, illarumque personæ nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententiis, juramentis, concordantiis, quæ tantum suos obligent auctores, non etiam successores, tueri se possint, quominus a suis episcopis, et aliis majoribus prælatis per se ipsos solos, vel illis, quibus sibi videbitur, adjunctis, juxta canonicas sanctiones, toties, quoties opus fuerit, visitari, corrigi, et emendari, etiam auctoritate apostolica possint, et valeant. » De monasteriis non exemptis constat ex can. *Visitandi. 24. cau.*

18. q. 2. ibi : « Quoties placuerit. » et can. *Non semel. 29.* ead. cau. et q. ibi : « Non semel, sed sæpius in anno episcopi visitent monasteria monachorum, et si aliquid corrigendum fuerit, corrigatur. »

67. *Non item monasteria exempta, habentia caput ordinis; nisi habeant etiam ecclesias sæculares.* — Resp. IV. Regulares tamen, et monasteria eorum exempta, quæ in congregationem redacta subsunt totius ordinis capiti, nullatenus visitari possunt ab episcopis, etiamsi ibidem regularis disciplina non vigeat. Fagnanus, in c. *Grave. 19. de Offic. ordinari. n. 12.* arg. *Concil. Trident. sess. 25. de Regular. cap. XX.* Nisi habeant ecclesias, ob quas eis imminet cura animarum sæcularium; quia tunc etiam « regulares hujusmodi curam animarum exercentes subsint immediate in iis, quæ ad dictam curam et sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi, et correctioni episcopi, in cujus diœcesi sita sunt, » statuit concilium Tridentinum, sess. 25. *de Regular. cap. XI.* et notat Fagnanus, loc. cit.

68. *Monasteria ordinis caput non habentia, quando visitare possint?* — Item nequeunt visitare exempta regularium monasteria supremum ordinis caput non habentia, si apud eos viget regularis observantia, etiamsi fuerint commendata monasteria, Fagnanus, in c. *Grave. 19. de Offic. ordin. n. 16.* arg. *Concil. Trident. sess. 25. de Reform. cap. VIII.* ubi tantum illa monasteria commendata, in quibus non viget disciplina regularis, datur episcopis visitandi potestas.

Porro potest episcopus quoad punctum clausuræ visitare quarumvis monialium monasteria, etiam illarum, quæ supremo ordinis capiti subsunt, per dicta tit. XXV. § 2. a. n. 28.

69. *Episcopus in visitatione non tantum ecclesias, et clerum, sed etiam populum visitare debet quoad delicta et scandala, alioque avertere.* Resp. V. Quando episcopus visitat diœcesim, tunc non tantum ecclesias, et clerum, sed etiam laicos, et populum quoad crimina, et delicta, atque præceptorum observantiam, fidemque orthodoxam visitare, ac debite corrigere potest, et debet, arg. c. *Romana. 1. h. t. in 6.* ibi : « Nec clericorum tantum, sed etiam populorum visitationi intentus, » etc. et ibi Imola, Azorius, part. II, lib. III, cap. XLI, p. 2. Ratio est, quia ad potestatem ecclesiasticam « spectat de quocunque peccato mortali corripere quemvis

christianum, et si correctionem contempserit, per districtiorem ecclesiasticam coercere; » ut dicitur c. *Novit. 13. de Jud.* Confirmatur ex concilio Tridentino, sess. 24. *de Reform. cap. III.* ubi visitationis finem illis verbis proponit : « Visitationum autem omnium istarum præcipuus sit episcopus, sanam orthodoxamque doctrinam, expulsi hæresibus, inducere; bonos mores tueri; pravos corrigere; populum cohortationibus, et admonitionibus, ad religionem, pacem, innocentiamque accendere; cætera prout tempus, locus, et occasio feret, ex visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere. » Ad quem finem ordinatur cit. c. 1. h. t. in 6. ut « si visitator commode, et absque difficultate accedere ad unamquamque (ecclesiam) non poterit, de pluribus locis ad unum congruum, clericos, et laicos studeat convocare ne in illis visitatio postponatur. »

70. *Laici quoad delicta, et peccata subsunt jurisdictioni et visitationi episcopi.* — Inferitur, illos visitatores muneri suo minime satisfacere, qui de ecclesiis, et clericis tantum solliciti, populum penitus negligunt, et debitam curam non adhibent, quomodo impune grassantur publica vitia, et scandala, scandalosæque consuetudines convenientibus mediis tollantur, impediuntur, et eradicantur; præsertim cum auctoritas episcopalis in his pro munere officii debite interposita plus quam copiosæ efficiant conciones pastorum de cathedra.

71. *Visitatio non potest præscribi. Remissive.* — Cæterum de modo visitandi spectanda cujusvis diœcesis laudabilis consuetudo; dummodo substantialia a jure præscripta non negligantur. Videri etiam de hoc possunt integræ formulæ ab auctoribus traditæ. De quibus, sicut et de reliqua visitationis materia consule doctores, præsertim Barbosam, *de Offic. et potest. episc. allegat. 73, 74 et 75;* Fagnanum, in c. *Conquerente. et c. Grave. de Offic. ordinari.* Azorium, part. II, lib. III, cap. XL, XLI et XLII, et alios.

Solum hic addendum, quod contra visitationem nulla fieri possit præscriptio, prout late jam probatum et lib. II, tit. XXVI. *de Præscript. a. n. 49,* ubi vide. (ADNOTATIONES XXVI et XXVII.)